Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.

Wien, 1794 Seite 2735

Quelle:
Copyright:

Lect. P. 2. p. 147. Inde Jac. Basnagius curis secundis T. IV. p. 113. repraesentavit. Fallitur enim *Fabricius* aut *Schoettgenius Bibl. med. Lat.* L. XIX. p. 225. dum *Elisabethae* Vitam, quam *Surius* ad 19. *Novemb.* edidit, quaeque *Jacobi Montani Spirens.* est, hanc nostram putat. Post hos Supplementa quaedam dedere *Lambecius* e *Cod. Caes.* L. II. p. 878. edit. *Kollar. col.* 782. et *Burc. Gotth. Struvius* e duplici *Ienensi Actor. literar. T. II. fasc.* 1. Demum amicissimus mihi *Georg. Prayus* Regni *Hung.* Historiographus Exemplar a *Lambecio* delibatum, *Tyrnaviae* 1770. integrum 4. juris publici fecit, locis, quibus a *Canisiano* abit, solerter adnotatis. Ubi mirari subit, Viro docto a nemine eorum, qui tunc Bibliothecam *Caes.* curabant, indicatum esse alterum hujus Vitae Exemplar, id scilicet, quod hic prae manibus habemus, quod, ut cum *Canisiano* plurimum conspiret, passim tamen lectionem variam, et sub finem *Miraculorum Elenchum* subpeditasset, qui ab aliis memoratis Exemplaribus abest, et inscribitur: *Hec sunt miracula de beata elyzabeth. Post obitum uero beate elyzabeth dominus ad suam gloriam multa et magnifica ad sepulchrum eius fecit miracula que etiam domino pape* (Gregorio IX.) *per magistrum sunt transcripta Conradum. Conradus* hic est *de Marburg* pariter O. P. cujus Relationem habes in *Leonis Allatii* Συμμικτοις L. I. p. 269. sed ibi enumerantur Miracula XXXIV. in *Cod.* vero nostro tantum XVIII. idque succinctius.

IV. *fol.* 36. *In Parasceue sermo.* Initium: *Homo quidam descendebat ab ierusalem in iericho — In uerbis istis mistice possumus et spiritualiter tria considerare* &c. Autor non additur, neque de eo laborandum.

V. *fol.* 39. manu Sec. XIII. *Incipit Passio sancte Katerine uirginis.* Initium: *Tradunt annales hystorie quod constantinus qui gubernacula imperij a patre constantio suscepit. quod uno et triginta annis moderator egregius tenuit: pacem ecclesiis post decem annos quibus a persecutoribus uexabatur indulsit. Hic constantinus cum rem publicam strenue in galliis procuraret: pretoriani milites rome maxentium herculij filium qui priuatus in lucania morabatur. augustum nuncupauerunt. Inde inter constantinum et maxentium bellum ciuile exortum est. Maxentius siquidem prelio fugatus Alexandrie partibus se recepit. Audiens autem constantinum intra illiricum sinum bellis undique consurgentibus detineri. ipse repentina rabie incitatus ecclesiam christi zelo idolatrie persequi instituit. et ad profana sacrilegia christianos aut premiis aut tormentis incuruare.* Atque deinceps Narratio re cum *Actis* conspirat, quorum Exemplaria tria *Graeca* autore *Sim. Metaphraste* ex Aug. Bibliotheca fistit *Lambecius* L. VIII. p. 226. 282. et 340. *Latina* apud *Lipomanum* P. II. et *Surium* ad *diem 25. Novembr.* leguntur, quamvis dictio longe sit alia.